

partem cum petulanter contumeliosi sitis, dubium prorsus nullum est, quin (nisi resipueritis) huic Homini Christo, ubique presenti, & actiones humanas inspicienti (*cujus Spiritus est in naribus ejus*) gravissimas poenas suo tempore daturi sitis. Esa. 2. v. 32.

V. Placet nunc etiam audire Responsionem Parei ad istam Accusationem. V. Examen Responsionis Patreanae.

PRIMUM ait: *Hæc falsa Accusatio fuit ex carnali Phantasia de coextensione & aequalitate utriusque Naturæ. Fingunt enim illi, qui talia objiciunt, ut Christus ubique sit Deus & homo, oportere carnis Essentiam tam latè patere, quàm latè patet Deitatis Essentia. Atqui λόγος est immensus, simplicissimus, idem ubique totus: Caro assumpta, etiam in Unione seu λόγος immenso existens, manet suis dimensionibus finita, suoq; ubi seu loco terminata, ubicunque sit. Sive igitur caro in Cælo tantum sit, ut nunc est in gloriâ, sive in terrâ tantum, ut olim fuit in humilitate: immensus λόγος à carne suâ ne cogitatione quidem separari uspiam potest, quin UBIQUE totus idemq; existens, carni assumpta, licet uno tantum loco existenti, totus unitus perpetuò maneat. Si enim vel in puncto daretur separatio, jam λόγος immensus non esset.*

Iren. pag. 266.

NB.

NB.

Atqui i. patet hinc, Pareum eandem ad unguem cum aliis Calvinianis tueri opinionem, quòd λόγος seu Persona Filii Dei, infinitis in locis sit extra suam Humanitatem. Sicut igitur Antuerpia nullo modo est, ubicunque est Oceanus, aut Planeta, ubi Orbis: ita Persona τῆς λόγος (secundum Pareum) incomparabiliter & millies plùs est extra suam Humanitatem. Quo pacto directè negatur Unio personalis duarum Naturarum, quæ non assistentiâ seu attingentiâ tantum partiali, sed in habitatione omnis plenitudinis Deitatis τῆς λόγος, non extra, sed tantum intra carnem definitur. Et posset λόγος, secundum istam opinionem, infinita assumere Humanitatis Individua, præsertim jam in terris, ubi omnimodè abesse dicitur humana Natura. Sicut autem Anima, salvâ Unione naturali, extra Corpus, sibi